

- 2. Utrum post actum peccati reatus remaneat.
- 3. Utrum peccatum dividatur convenienter per mortale & veniale.
- 4. Utrum veniale peccatum à mortali distinguatur.
- 5. Utrum peccatum mortale, & veniale differant per poenam æternam & temporalem.

Quæstio 11.

- 1. Utrum peccata distinguantur penes radices.
- 2. Utrum peccatum convenienter dividatur in peccatum operationis, oris, & operis.
- 3. Utrum divisio capitalium vitiorum sit competens.
- 4. Utrum species superbiæ convenienter assignentur.
- 5. Utrum omnia peccata sint paria.

DISTINCTIONIS XLIII.

Quæstio 1.

- 1. Utrum sit aliquod peccatum in Spiritum Sanctum.
- 2. Utrum peccatum in Spiritum Sanctum sit

FINIS.

DISTINCTIONIS XLII.

Quæstio 1.

- 1. Utrum peccatum in Spiritum Sanctum sit
- 2. Utrum peccatum in Spiritum Sanctum sit

DISTINCTIONIS XLII.

Quæstio 1.

- 1. Utrum peccatum in Spiritum Sanctum sit
- 2. Utrum peccatum in Spiritum Sanctum sit

- 3. Utrum, convenienter assignentur specie peccati in Spiritum Sanctum.
- 4. Utrum peccatum in Spiritum Sanctum sit irremissibile.
- 5. Utrum aliquis in primo actu peccati possit peccare in Spiritum Sanctum.
- 6. Utrum Adam in Spiritum Sanctum peccaverit.

DISTINCTIONIS XLIV.

Quæstio 1.

- 1. Utrum potentia peccandi sit à Deo.
- 2. Utrum omnis prælatio à Deo sit.
- 3. Utrum in statu naturæ integræ prælatio fuisset.

Quæstio 11.

- 1. Utrum obedientia sit virtus.
- 2. Utrum Christiani teneantur obedire sæcularibus potestatibus, & præcipue tyrannis.
- 3. Utrum obedientiam professi teneantur simpliciter obedire prælatis suis.

SCRIPTUM
 S. THOMAE AQUINATIS
 DOCTORIS ANGELICI
 IN SECUNDUM LIBRUM SENTENTIARUM
 MAGISTRI PETRI LOMBARDI.

PROLOGUS S. THOMÆ.

Spiritus ejus ornavit cælos, & obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus. Job xxvi. 13.



Reaturarum consideratio pertinet ad Theologos, & ad Philosophos; sed diversimode; Philosophi enim creaturas considerant, secundum quod in propria natura consistunt: unde proprias causas, & passiones rerum inquirunt: sed Theologus considerat creaturas, secundum quod à primo principio exierunt, & in finem ultimum ordinantur, qui Deus est: unde recte divina sapientia nominatur, quia altissimam causam considerat, quæ Deus est. Unde dicitur Eccli.

xl. 17. „ Nonne (1) Deus fecit sanctos suos enarrare omnia mirabilia sua? “ Per modum istum in hoc secundo Libro de creaturis agitur: unde materia ejus ex verbis præmissis accipi potest, ex quibus tria elicere possumus, scilicet rerum principium, principii ipsius actum, & actus effectum. Ex parte principii duo tanguntur, scilicet spiritus, & manus: spiritus bonitatis, vel voluntatis suæ; sed manus potestatis. De hoc spiritu dicitur in Psalm. c. 111. 30. (2) „ Emitte spiritum tuum, & creabuntur. “ Quia secundum Dionysium iv. cap. de div. Nominibus, sicut sol radios suos emittit ad corporum illuminationem, ita divina bonitas radios suos, id est participationes sui, diffundit ad rerum creationem. Et ideo Augustinus (I. de Doctrina christ. cap. xxxii.) dicit, quod in quantum bonus est, sumus. Istum spiritum negaverunt qui possuerunt Deum produxisse res ex necessitate naturæ, & non ex libertate voluntatis, contra quos dicit Dionysius cap. iv. de div. Nominibus, quod divinus amor non permisit eum sine germine esse. Sed de manu potestatis ejus in Psalm. c. 111. 28. „ Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. “ In manu siquidem ejus erant omnes fines terræ, quia ab æterno non nisi in ejus potestate erant. Aperta enim manu clave amoris, creaturæ prodierunt. Hæc est manus de qua dicit Isai. l. 1. „ Ecce non est abbreviata manus (3) ejus: “ quia infinita sua virtute rerum substantiam in esse producit. Hanc manum abbreviare voluerunt qui à Deo nihil fieri posse ex nihilo astruxerunt. Et sic apparet in productione reaturarum, Trinitas personarum. In spiritu ipse Spiritus Sanctus, de quo dicitur Sap. 1. 7. „ Spiritus Domini replevit (4) omnem terram. “ In manu Filius, qui etiam brachium Patris dicitur Job. xl. 4. „ Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas? “ eo quod ipse est virtus, & sapientia Dei. I. Corinth. 1. & „ omnia per ipsum facta sunt: “ Joann. 1. 3. „ Sed in pronomine ejus persona Patris exprimitur, cujus est & Filius, & Spiritus Sanctus: de quo dicitur Gen. 1. 1. „ In principio creavit Deus cælum, & terram. “ Sed ex parte actus tangit etiam duo, scilicet ornatum, & obstetricationis officium. Ornatum pertinet ad dispositionem rerum, quia eas varia pulchritudine decoravit, ut dicitur Eccli. xl. 21. „ Magnalia sapientiæ suæ decoravit. “ De hac etiam pulchritudine Boetius (III. Cons. metro 1x.) dicit: „ Mundum mente gerens pulchrum pulcherrimus ipse.

Sed obstetricatio pertinet ad providentiæ gubernationem, qua creaturas per se subsistere non valentes, ad modum obstetricis in esse conservat, necessaria in finem ministrat, & impedimenta repellit, etiam mala in bonum ordinando: unde dicit Job xxxviii. 8. secundum similem metaphoram: „ Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens? “ Ex parte effectus duo tangit, scilicet cælum, & colubrum tortuosum. In cælo duo considerare possumus, scilicet stabilitatem. Proverb. 111. 9. „ Stabilitur lumen indeficiens. “ & indeficientem claritatem: de qua Eccli. xxiv. 6. „ Ego feci in cælis ut oriretur lumen indeficiens. “ Unde per cælos intelligere possumus creaturas quæ in decore suo firmiter persisterunt. Similiter in colubro tortuoso duo considerare possumus, scilicet obscuritatem, & obliquitatem. Primum in nomine colubri, (5) obscuritatem intelligimus: quia coluber dicitur quasi colens umbram, quæ sonat privationem lucis. Obliquitatem in hoc quod dicitur tortuosum; distortum enim est quod à rectitudine obliquatur. Et ideo per hunc colubrum tortuosum creaturæ illæ intelligi possunt quarum pulchritudo est per peccatum obscurata, & rectitudo obliquata, & præcipue diabolus, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum: Sap. 111. & de umbrositate ejus dicitur Job xl. 16. „ Sub umbra dormit in secreto calami. “

In II. Sent. Tom. II. A & (1) Vulgata Dominus. (2) Vulgata Emittes. (3) Vulgata Domini. (4) Vulgata orbem terrarum. (5) Al. dicit obscuritatem intelligimus.

PROLOGUS.

& de ejus tortuositate dicitur. Isai. xxvii. 1. „ Visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & for- „ ti super Leviathan serpentem veſtem, & ſuper Leviathan serpentem tortuoſum, & occidet eum. Rec- te ergo cœlos ſpiritus ornasse dicitur: quia in creaturis quæ ſuum ordinem ſervaverunt, & divina bonitas clariùs reſplendet, & decoris ornatus immutatus non eſt. Recte etiam dicitur coluber tortuoſus manu obſtreſcante educus: quia in malis relucet etiam divina potentia per hoc quod cohibentur, & divina providentia per hoc quod eorum mala ordinantur in bonum. Et ſic pater materia hujus ſecundi Libri, in quo de institutione creaturarum agitur, & lapſu per peccatum Angeli, vel hominis.

LIBER SECUNDUS SENTENTIARUM.

DISTINCTIO I.

Unum eſſe rerum principium oſtendit, non plura, ut quidam putaverunt.

Creationem rerum inſinuans Scriptura, Deum eſſe creatorem, initiumque temporis, atque omnium viſibilem, vel inviſibilem creaturarum, in primordio ſui oſtendit, dicens: „ In principio creavit Deus „ cœlum, & terram. His etenim verbis Moyses ſpiritu Dei afflatus, in uno principio à Deo Creatore mun- dum factum refert, elidens errorem quorundam plura ſine principio fuiſſe principia opinantium. Plato namque (in Timæo cap. vii. ſecundum ſectionem Mars. Picini in comm.) tria initia fuiſſe exiſtimavit, Deum ſcilicet, & exemplar, & materiam; & ipſa increata ſine principio; & Deum quaſi artiſicem; non creatorem. Creator etenim eſt qui de nihilo aliquid facit, & creare proprie eſt de nihilo aliquid facere; facere vero non eſt modo de nihilo aliquid operari, ſed etiam de materia. Unde & homo; vel Angelus dicitur aliqua facere, ſed non creare; vocaturque factor, ſive artiſex, ſed non creator: hoc enim nomen ſoli Deo proprie congruit, qui & de nihilo quædam, & de aliquo aliqua facit. Ipſe eſt ergo creator, & opifex, & factor; ſed creatoris nomen ſibi proprie retinuit, alia vero nomina etiam creaturis communicavit. In Scri- pturis tamen sæpe creator accipitur tamquam factor, & creare ſicut facere, ſine diſtinctione ſignificationis.

Quod hæc verba facere, & agere non dicuntur de Deo ſecundum eam rationem qua dicuntur de creaturis.

Verumtamen ſciendum eſt, hæc verba, ſcilicet creare, facere, & agere, & alia hujusmodi de Deo non poſſe dici ſecundum eam rationem qua dicuntur de creaturis. Quippe cum dicimus eum aliquid facere, non aliquem in operando motum illi intelligimus in eſſe, vel aliquam in laborando paſſionem, ſicut nobis ſolet accidere; ſed ejus ſempiternæ voluntatis novum aliquem ſignificamus effectum, id eſt æterna ejus voluntate aliquid noviter exiſtere. Cum ergo dicitur aliquid facere, tale eſt ac ſi dicatur, juxta ejus voluntatem, vel per ejus voluntatem, aliquid noviter contingere, vel eſſe, ut in ipſo nihil novi contingat; ſed novum aliquid ſicut in ejus æterna voluntate fuerat, fiat ſine aliqua ſui motione, vel mutatione. Nos vero operando mutari dicimur, quia movemur: non enim ſine motu aliquid facimus. Deus ergo facere, vel agere aliquid dicitur, quia cauſa eſt omnium rerum noviter exiſtentium, dum ejus voluntate res novæ eſſe incipiunt, quæ ante non erant, abſque ipſius agitatione, ut actus proprie dici non queat, cum videlicet actus omnis in motu conſiſtat. In Deo autem motus nullus eſt. Sicut ergo ex calore ſolis aliqua fieri contingit, nulla tamen in ipſo, vel in ejus calore facta motione, vel mutatione; ita ex Dei voluntate nova habent eſſe ſine mutatione actoris, qui eſt unum, & ſolum principium omnium. Ariſtoſeles vero (II. de gener. text. li. & VIII. Phys. text. iv. & I. de Cœlo, & mund. text. ci.) duo principia dixit, ſcilicet materiam, & ſpeciem, & tertium (1) operatorium dictum: mundum quoque ſemper eſſe, & fuiſſe:

Quod catholicum eſt, docet.

Horum ergo, & ſimilium errorem Spiritus Sanctus evacuans, veritatisque diſciplinam tradens, Deum in principio temporum mundum creasse, & ante tempora æternaliter exiſtiſſe ſignificat, ipſius æternitatem, & omnipotentiam commendans, cui voluiſſe facere eſt: quia, ut prædiximus, ex ejus voluntate, & bonitate res novæ exiſtunt. (2) Credamus igitur, rerum creaturarum cœleſtium, vel terreſtrium, viſibilem, vel inviſibilem, cauſam non eſſe niſi bonitatem Creatoris, qui eſt Deus unus & verus: cujus tanta eſt bonitas ut ſumme bonus beatitudinis ſuæ, qua æternaliter beatus eſt, alios velit eſſe participes: quam vidit & communicari poſſe, & minui omnino non poſſe. Illud idem igitur bonum quod ipſe erat, & quo beatus erat, ſola bonitate, & non neceſſitate aliis communicare voluit: quia ſumme boni erat prodeſſe velle, & omnipotentiffimi (3) nocere non poſſe.

Quare rationalis creatura facta ſit.

Et quia non valet ejus beatitudinis particeps exiſtere aliquis, niſi per intelligentiam (quæ quanto magis intelligitur, tanto plenius habetur) fecit Deus rationalem creaturam, quæ ſummum bonum intelligeret, & intelligendo amaret, & amando poſſideret, ac poſſidendo fruere: eamque hoc modo diſtinxit, ut pars in ſui puritate permaneret, nec corpori uniretur, ſcilicet Angeli, pars corpori uniretur, ſcilicet ani-

(1) Al. operationem. (2) Addit Nicolai per parentheſim: (Unde Auguſtinus de diligendo Deo cap. 2. vel alius quiſpiam verus Actor inter ejus opera Tom. IX.) (3) Nicolai noceri.

DISTINCTIO I.

animæ. Diſtincta eſt itaque rationalis creatura in incorpoream, & corpoream: & incorporea quidem Angelus, corporea vero homo vocatur, ex anima rationali, & carne ſubiſtens. Conditio ergo rationalis creaturæ primam cauſam habuit Dei bonitatem.

Quare creatus ſit homo, vel Angelus.

Ideoque ſi quaeritur, quare creatus ſit homo, vel Angelus; brevi ſermone reſponderi poſteſt: Propter bonitatem ejus. Unde Auguſtinus in Lib. I. de Doctrina chriſt. (cap. xxxii.) „ Quia bonus eſt Deus, „ ſumus; & in quantum ſumus, boni ſumus.

Ad quid creata ſit rationalis creatura.

Et ſi quaeritur, ad quid creata ſit rationalis creatura; (1) reſponderetur: Ad laudandum Deum, ad ſerviendum ei, ad fruendum eo: in quibus proficit ipſa, non Deus. Deus enim perfectus, & ſumma bonitate plenus, nec augeri poſteſt, nec minui. Quod ergo rationalis creatura facta eſt à Deo, referendum eſt ad Creatoris bonitatem, & ad creaturæ utilitatem.

Breviſſima reſponſio, cum quaeritur, quare, vel ad quid facta ſit rationalis creatura.

Cum ergo quaeritur, quare, vel ad quid facta ſit rationalis creatura; breviſſime reſponderi poſteſt: Propter Dei bonitatem, & ſuam utilitatem. Utile nempe ipſi eſt ſervire Deo, & frui eo. Factus ergo Angelus, ſive homo propter Deum dicitur eſſe, non quia creator Deus, & ſumme beatus, alterutrius indigeret officio, qui bonorum noſtrorum non eget; ſed ut ſerviret ei, ac fruere eo, cui ſervire regnare eſt. In hoc enim proficit ſerviens, non ille cui ſervitur.

Sicut factus eſt homo, ut Deo ſerviret, ſic mundus ut ſerviret homini.

Et ſicut factus eſt homo propter Deum, id eſt ut ei ſerviret; ita mundus factus eſt propter hominem, ut ei ſerviret. Poſitus eſt ergo homo in medio, ut & ei ſerviret, & ipſe ſerviret; ut acciperet utrumque, & reſlueret totum ad bonum hominis, & quod accepit obſequium, & quod impendit. Ita enim voluit Deus ſibi ab homine ſerviri, ut ea ſervitute non Deus, ſed homo ſerviens juvaretur: & voluit ut mundus ſerviret homini, & exinde ſimiliter juvaretur homo. Totum igitur bonum hominis erat, & quod factum eſt propter ipſum, & propter quod factus eſt ipſe. Omnia enim, ut ait Apoſtolus, noſtra ſunt, ſcilicet & ſuperiora, & æqualia, & inferiora. Superiora quidem noſtra ſunt, ſcilicet ad perfruendum, ut Deus Trinitas: æqualia ad convivendum, ſcilicet Angeli: qui eſi modo nobis ſunt ſuperiores, in futuro erunt æquales; qui & modo noſtri ſunt, quia ad uſum nobis ſunt: ſicut res dominorum dicuntur eſſe famulorum, non dominio, ſed quia ſunt ad uſum eorum. Ipſique Angeli in quibusdam Scripturæ locis nobis ſervire dicuntur, dum propter nos in miniſterium mittuntur.

Quomodo aliquando dicitur in Scriptura: Homo factus eſt propter reparationem angelici caſus.

De homine quoque in Scriptura interdum reperitur quod factus ſit propter reparationem angelicæ ruinæ: quod non ita eſt intelligendum quaſi non fuiſſet homo factus, ſi non peccaſſet Angelus; ſed quia inter alias cauſas, ſcilicet præcipuas, hæc etiam nonnulla exiſtit. Noſtra igitur ſunt ſuperiora, & æqualia; noſtra etiam ſunt inferiora, quia ad ſerviendum nobis facta.

Quare ita ſit homo inſtitutus, ſcilicet ut anima ſit unita corpori.

Solet etiam quaeri, cum majoris dignitatis eſſe videretur anima, ſi abſque corpore permanniſſet, cur unita ſit corpori. Ad quod primo dici poſteſt: Quia Deus voluit, & voluntatis ejus cauſa quaerenda non eſt. Secundo autem dici poſteſt, quia ideo Deus voluit eam corpori uniri, ut in humana conditione oſtenderet novum exemplum beatæ unionis quæ eſt inter Deum & ſpiritum, in qua diligitur ex toto corde, & videtur facie ad faciem. Putaret enim creatura ſe non poſſe uniri Creatori ſuo tanta propinquitate ut eum tota mente diligeret, & cognoceret, niſi videret ſpiritum, qui eſt excelentiſſima creatura, tam inſimæ, id eſt carni, quæ de terra eſt, in tanta dilectione uniri, ut non valeat arctari ad hoc ut velit eam relinquere, ſicut Apoſtolus oſtendit dicens (II. Corinth. v. 4.) „ Nolumus (2) corpore expoliari, ſed ſuper- „ veſtiri: „ per quod oſtenditur ſpiritum creatum ſpiritu increato ineffabili amore uniri. Pro exemplo igitur futura ſocietatis quæ inter Deum & ſpiritum rationalem in glorificatione ejuſdem perficienda erat, animam corporeis indumentis, & terrenis manſionibus copulavit, luteamque materiam fecit ad vitæ ſenſum vegetare, ut ſciret homo, quia, ſi potuit Deus tam diſparem naturam corporis, & animæ in fæderationem unam, & in amicitiam tantam conjungere, nequaquam ei impoſſibile futurum rationalis creaturæ humili- tatem, licet longe inferiorem, ad ſuæ gloriæ participationem ſublimare. Quia ergo pro exemplo rationalis ſpiritus in parte uſque ad conſortium terreni corporis humiliatus eſt, ne forte in hoc nimis depreſſus videretur, addidit Dei providentia, ut poſtmodum eam eodem corpore glorificato ad conſortium illorum qui in ſua perſiſterant puritate, ſublimaretur: ut quod minus ex diſpoſitione Creatoris ſui acceperat conditus, poſtmodum per gratiam ejuſdem acciperet glorificatus. Sic ergo conditor noſter Deus rationales ſpiritus varia ſorte pro arbitrio voluntatis ſuæ diſponens, illis quos in ſua puritate reliquerat, ſurſum in cœlo manſionem,

In II. Sent. Thom. II.

(1) Addit Nicolai (ex Auguſtino ruſum de diligendo Deo). (2) Vulgata omittit corpore.